



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

106. An si dispensatus ex falso nomine in rescripto appposito intelligat personum sibi notam, vitietur dispensatio? Ex part. 7. tract. 10. & Misc. 1. res. 35.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

tas: vt si quis diploma quo concessa illi fuit dispensatio, laceret, aut comburat: hoc, inquam, non sufficit ad reuocationem dispensationis, nisi cum hoc signo externo addunt, tum voluntas renunciandi, tum acceptatio facta à dispensante: nam ante hanc acceptationem potest impetrans semper reuocare suam renuntiandi voluntatem. Similiter impetratio secundæ dispensationis, non est iusta reuocatio tacita; nec sufficiens signum renunciationis, nisi forte secunda dispensatio repugnet priori.

RESOL. CV.

Quid operatur in dispensationibus clausula Motu proprio, quando adest vitium subreptionis. Ex part. 8. tit. 3. Ref. 70.

Sup. hoc supra in Ref. 101. §. Dico istur.

§. 1. **S**Ic distinguit ex Sanchez Patet Amicus tom. 5. disp. 6. scilicet. n. 153. si subreptionis vitium sit in expressione causæ falsæ finalis, illud per clausulam, *Motu proprio*, non suppletur. Suppletur autem, si sit per suppressionem causæ finalis. Ratio discriminis est: quoniam motus proprius non firmat gratiam contra concedentis intentionem. Sed quando dispensatio est subreptitia expressione falsi finaliter mouentis ad dispensationem concedendam, dispensatio est contra intentionem concedentis, siquidem falsitate declarata, eam non concessisset: ergo motus proprius non potest eam firmare. Potest autem motus proprius firmare dispensationem, quæ positiuè non sit contra intentionem concedentis. Sed quando dispensatio est subreptitia suppressione tantum, & taciturnitate causæ finalis, non est positiuè contra intentionem concedentis: quia ignorata causa finali, non potuit dispensator positiuam intentionem habere negandi dispensationem; quia cum hic sit actus voluntatis, non potest exerceri circa obiectum per ignorantiam occultum. Ex his inferitur, per clausulam, *Motu proprio*, non validari dispensationem, si sit, contra ius tertij, nec tollere à persona inhabilitatem, si taceatur.

2. Sed non deseram hic apponere ea, quæ docet Portel in respons. moral. tom. 2. cas. 49. num. 7. vbi sic ait. Dubium est, an si in narratiua detur vitium taceendo veritatem, vel exprimenda falsitatem, & nihilominus Papa in dispensatione dicat, se dispensare ex motu proprio: per talem clausulam, *Motu proprio*, suppleatur vitium subreptionis, & inualiditatis posite in narratiua? Respondet Bonacina n. 21, cum Suarez ibi citato, distinguendo. Nam vel Papa concedit hanc dispensationem motu proprio, absque petitione, vel narratione petentis, sed ex mera liberalitate: vel illam concedit ex præuia petitione, & informatione petentis. Si concedit primo modo, dispensatio, seu priuilegium valent, etiam si à parte rei subit impedimentum. Ratio est, quia cum Princeps concedit ex mera liberalitate, non ex causa sibi falso narrata, vel veritate tacita, cum priuilegiarius non loquatur, nec aliquid operetur, nisi acceptando gratiam, censetur Princeps tollere liberaliter omne impedimentum obstat, per illam clausulam, *Motu proprio*. Et sic habetur in cap. si motu proprio, de præbend. in 6. Si verò Papa concedat dispensationem cum clausula, *Ex motu proprio*, præcedente petitione, vel informatione petentis, & in informatione taceatur veritas, vel narratur falsitas, tunc illa clausula *Ex motu proprio*, non supplet illum defectum, & proinde dispensatio est nulla. Probat principaliter: quia in cap. 2. de rescriptis, dicitur, quod in rescriptis semper intelligitur apposita clausula, si preces veritate nitantur. Hic autem preces non nituntur veritate.

Tum, quia impetratio beneficii non explicata eius qualitate, non valet etiam si fiat motu proprio, vt docet Panormitanus cap. ad aures, de rescriptis, n. 5. & alij. Ita Portel.

RESOL. CVI.

An si dispensatus ex falso nomine in rescripto apposito intelligat personam sibi notam, vtiueur dispensatio. Ex p. 7. tit. 10. & Misc. Ref. 33.

§. 1. **N**egatiuam sententiam docet Sanch. de materia. lib. 8. disp. 21. n. 38. putat enim in hoc casu validam esse dispensationem, nec hunc errorem obstat, si constaret, eodem modo concedendam dispensationem Petro incognito, si expressus esset, ac conceditur Iohanni eius noto, & familiari. Mouetur, quia in his Princeps non debet spectare, quis est sibi propositus, sed quis verè dispensationem petit, & intelligit: sicuti administrator sacramentorum, excepto matrim. non spectat, quis sit cui est administrandum sacramentum, sed suam mentem dirigit ad eum, qui sibi est præsens.

2. Sed his non obstantibus adhaereo sententiæ affirmatiuæ, quam tuetur Petr. à S. Ioseph, in idea theol. moral. lib. 1. c. 11. resol. 5. vbi ait: Notandum dispensationem valere quando erratur circa nomen personæ, pro qua dispensatio petitur, quia scilicet dispensatio petitur pro tali persona, eique confertur, quidquid sit de illius nomine. Confirmatur, nam ex communi Iuristarum sententia, valet legatum, etiam testator in nomine legatarij errauerit, modo de persona constet.

3. Excipe, nisi dispensans ex falso nomine proposito, intelligat personam aliquam sibi notam: tunc enim dispensatio valere nequit, cum dispensans non intendat eam concedere personæ, pro qua petitur, sed alteri. Nec dicas Sacram. validè conferti etiam minister erret in persona recipientis: hoc enim verum est, quando intendit Sacram. conferre personæ præsentis, quæcumque sit, in dicto autem casu legislator non dirigit intentionem ad eum, in cuius gratiam dispensatio petitur, sed ad alium sibi notum; quare dispensatio tunc valere nequit. Ita ille, & ante illum Caltus Palatus tom. 1. rr. 3. disp. 6. punct. 6. §. 2. num. 8. Confirmatur hæc opinio præter rationem adductam, ex §. si quis in nomine Institut. de legatis, vbi error nominis, aut pronominis legatarij non obstat legato, notanter apponitur, quando aliàs de persona constat, quia tunc est error accidentalis: at in præsentis casu non constat de persona, cui petitur dispensatio, & relatio facit, vt profus intelligatur distinctæ. Ergo Secundò confirmo ex capite significante, de rescriptis, vbi rescriptum datum contra Vicarium Remensis Diocesis, cum tamen fuerit Leodicensis, irritum decernitur, quia non constabat aliunde de persona, contra quam erat rescriptum impetratum sed in casu nostro, de persona cui petitur dispensatio, non constat, imò potius intelligitur dari omnino distinctæ. Ergo.

4. Nota tamen sententiam negatiuam quam tuetur Sanch. approbare etiam P. Amicum tom. 5. de inst. disp. 6. scilicet. n. 14. eo quod in gratis concedendis præsumitur Princeps si aliunde contrarium non constet, attendere ad merita causæ, propter quæ gratia petitur, cuiusmodi tandem personæ sint merita, propter quæ gratia petitur. Et ideo vtramque sententiam puto probabilem esse.

RESOL.